Copia dela letra app[ostolic]a
dela jurisdition

SERAPHINVS Oliuarius Razallius iuris vtriusq; doctor, Sanctissimi Domini nostri Papæ Capellanus, & ipsius sacri palatij Apostolici causarum auditor, causæq; & causis, ac partibus infra scriptis iudex commissarius à Sanctissimo Domino nostro Papæ specialiter deputatus. Vniuersis, & singulis dominis Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurarius, Succẽtoribus, Sacristis, tàm cathedralium etiam metropolitanarum, quàm collegiatarum, Canonicis parrochialiumq; Ecclesiarum Rectoribus, seu loca tenentibus eorundem plebanis, viceplebanis, curatis, & non curatis, Vicarijs perpetuis, altaristis, cæterisq; presbyteris clericis, notarijs, & tabellionibus publicis quibuscumq; per ciuitatem, & diœcesim Hispalensem, & aliàs vbilibet constitutis, & eorum cuilibet insolidum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ peruenerint, salutẽ in Domino, & nostris huiusmodi, imò verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis, quòd nuper Sanctissimus in Christo pater, & Dñs noster Dñs Gregorius diuina Prouidentia Papa decimus tertius, infra scriptam commissionem copiam duarum aliarum commissionum in eius capite habentem nobis præsentari fecit tenoris sequentis. Beatissime pater, curam animarum omnium, & singularum parrochialium. Ecclesiarum, & parrochianorum

Commißio generalis.

Supplicatio prim...

norum totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis ſpectat,& pertinet ad Archiepiſcopum Hiſpalenſem pro tempore exiſtentem, qui eſt Rector dictarum parrochialium, & parrochianorum, qua ratione partem decimarũ totius Archiepiſcopatus, percipit, ipſeq; tenetur ſuis expẽſis Vicarios,& perſonas idoneas pro dicta cura exercenda,& ſacramentis adminiſtrandis ponere,& deputare, illiſq; congruam ſuſtentationem ex dictis decimis, quas percipit ſubminiſtrare, omnia verò alia beneficia in dictis parrochialibus, aut alibi in dicto Archiepiſcopatu exiſtentia ſunt ſimplitia, forſan ſeruitoria, curaq; animarum carent,& Beneficiati illa pro tempore obtinentes ratione eorũdem Beneficiorum ad curam animarum exercendam, & Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtranda non tenentur. Et licet Archiepiſcopus dicti Archiepiſcopatus ita facere,& obſeruare debuiſſet,& deberet, ac Beneficiatos præfatos, ſeu eorum capellanos ſuper prætenſa cura animarum, & illius exercitio moleſtare, & inquietare non deberet. Nihilominus dictus Archiepiſcopus, vt ſe eximat à ſolutione congruè portionis quam aſsignare deberet pro clericis, ſeu Vicarijs pro dicta cura animarum exercenda,& ſacramentis adminiſtrandis, deputandis onus curæ huiuſmodi capellanis per dictos beneficiatos deputatis, ſeu forſan ipſis beneficiatis imponere, illoſq; ad curam animarum huiuſmodi exercenda,& ſacramenta eccleſiaſtica adminiſtranda, abſq; tamen aliqua congrua ſuſtentatione, vel ſalario cogere, & compellere prætendit, prout iam facere, & forſan executioni, licèt nulliter, & de facto non obſtantibus eorundem beneficiatorum reclamationibus,& proteſtationibus demandare cœpit. Et ſimiliter licèt ad Beneficiatos cuiuſlibet Eccleſiæ reſpectiuè legitimè ſpectet, & pertineat deputatio, ſeu præſentatio cappellanorum in ſuis beneficijs, ac præſidendi,& ordinãdi quæ in eorum Eccleſijs reſpectiue conuenit, necnon præſentatio, & nominatio organiſtarum dictarum eccleſiarum, ac in huiuſmodi poſſeſsione, vel quaſi deputandi, præſentandi, præſidendi,& ordinandi reſpectiuè ab immemorabili tempore exiſterent, & propterea deſuper perturbari, vel inquietari non deberent. Nihilominus dictus Archiepiſcopus eoſdem organiſtas, & ſacriſtas ex ſeipſo nulliter,& de facto apponere, & deputare, ac præſentationes, ſeu deputationes dictorum capellanorum minimè admittere præſidentiamq; in eorum Eccleſijs, vt præfertur perturbare, ac leuare cœpit, & oratores ſua poſſeſsione, vel quaſi omnium, & ſingulorum præfatorum de facto ſpoliare conatur. Necnon dictus Archiepiſcopus ordinauit quod in diœceſis adeſſent quidam quos teſtes ſinodales appellari, qui in toto Archiepiſcopatu capiant informationem delictorum quibus ſalarium decem regalium qualibet die expenſis inculpati aſsignauit. Quod decretum, ſeu ordinatio eſt ſuperflua, cum adſint officiales,& fiſcales Archiepiſcopi quorum eſt cura, & onus huiuſmodi inquiſitionis, & eſt notoriè, & apertè iniuſtum, omniq; rationis fundamento caret, quia dat maximam cauſam, & occaſionem omnes clericos etiam non culpabiles perturbandi, & inquietandi ad effectum ne inquiſitione, & occupatione pendente dicti teſtes extorqueant ſingulis diebus regalia decem ab inquiſitis. Propter quod datur

occaſio

occaſio innocentes indebite opprimendi, & pauperum clericorum bona,
& ſubſtantiam conſumẽdi in grauiſsimum clericorum, & beneficiatorum
damnum, & præiuditium, aliaq; plura, & diuerſa grauamina oratoribus, &
eorum ſingulis intullit. A quibus tamen omnibus, & ſingulis præfatis, tan-
quam nimium præiuditialibus, ac iniquis, & iniuſtis, & indebitè nulliter, &
de facto factis, & ordinatis, fuit pro oratorum parte ad ſanctitatem veſtrã,
& ſanctam ſedem Apoſtolicam appellatum, reclamatum, & de nullitate
dictum. Verùm quia pater ſancte omnium Beneficiatorum dictæ diœceſis,
& illorum vniuerſitatis ſanctitatis veſtræ oratorum, & eorum cuiuſlibet
maximè intereſt ſe ab huiuſmodi indebitis moleſtijs eximi, & liberari. Ideò
ſupplicant humiliter ſanctitati veſtræ quatenus dignetur cauſam, & cauſas
appellationis, & appellationum, dictarum, & aliarum quarumcumq; pro
eorum parte, & eorum cuiuſlibet interpoſitæ, & interpoſitarum iniquita-
tis, & iniuſtitiæ, nullitatiſq;, & nullitatum omnium, & ſingulorum præfa-
torũ, attentatorumq;, & innouatorum quorumcumq;, vnà cum omnibus,
& ſingulis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & conne-
xis, ac toto negotio principali, necnon quam, & quas habent, & mouent ha-
bereq;, & mouere volunt, & intendunt de & ſuper præmiſsis, & eorum ſin-
gulis rebuſq; alijs, &c. Aliquibus probis viris in partibus illis commoranti-
bus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis cum ſolita clauſula, & eorum cui-
libet ſummariè audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineq; debito termi-
nandas, tam coniunctim, quàm diuiſim committere, & mandare cum po-
teſtate dictos aduerſarios omneſq; alios, & ſingulos, &c. Etiam per edictũ
publicum conſtito ſummariè, & extraiudicialiter de non tuto acceſſu ci-
tãdi eiſq;, ac quibuſvis alijs perſonis, & iudicibus quacunq; auctoritate fũ-
gentibus, & functuris etiam per ſimile edictum ſub cenſuris Eccleſiaſticis,
alijſq; pecuniarijs ſuo arbitrio moderandis, infligendis, & applicandis pęnis
inhibendi, inobedienteſq;, & rebelles in ſententijs, cenſuris, & pœnis hu-
iuſmodi incidiſſe, & incurriſſe, ſeruata tamen forma Concilij Tridentini
declarandi, aggrauandi, & interdicendi auxiliumq; brachij ſecularis, qua-
tenus opus fuerit inuocãdi oratoreſq; in eorum poſſeſsione præmiſſorum,
prout iuris fuerit manuteneri mandatumq; de manutenendo decernendi,
& quatenus forſan in aliquo ſpoliati reperiantur, illos in primis, & ante
omnia prout iuris fuerit reſtituendi oratoreſq;, & eorum quemlibet à qui-
buſvis cenſuris, ſuſpenſionibus, & pœnis pro parte dicti Archiepiſcopi pro-
pter pręmiſſa, aut illorum occaſione illatis factis, & impoſitis, ſi quibus ora-
tores, aut eorum, quilibet innodatus, obligatus, aut ſuſpenſus exiſtat, ſim-
pliciter, vel ad cautellam prout iuris fuerit abſoluendi, & ſuſpenſiones re-
uocandi, aliaq; faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, exequendi, prouidendi,
& mandandi in præmiſsis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet oppor-
tuna præmiſsis, ac fœlicis recordationis Bonifacij Papæ octaui, ſanctitatis
veſtræ prædeceſſoris de vna, & concilij generalis de duabus dietis dum mo-
do non vltra tres, & quibuſvis alijs apoſtolicis, ac ſinodalibus conſtitutioni-
bus, & ordinationibus, cęteriſq; contrarijs. Non obſtantibus quibuſcumq;

 ſtatum,

statum,&c. Pro plene, & sufficienter expreßsis habentes concessum, vt petitur in præsentia domini nostri Papæ Io.P.Cardinalis ab Ecclesia, & cum absolutione à censuris ad effectum, & per breue sanctitatis vestræ hac supplicatione introclusâ, seu officium contradictarum,& committatur AEgidio Ceuadilla Canonico Hispalensi, qui in euentum recusationis teneatur assumere assessorem iuris peritum neutri partium suspectum, & prout de iure. Concessum Io.P.Cardinalis ab Ecclesia. Dat. Romę apud sanctum Petrum nonas Martij anno primo. Beatisśime pater, clerici, & Beneficiati sanctitatis vestræ oratores in præinserta nominati supplicant humiliter eidem sanctitati vestræ quatenus in locum AEgidij Ceuadilla olim Canonici Hispalensis cui præinserta dirigebatur, & qui nuper, sicut domino placuit, ab humanis decesśit, causam, & causas in prẹinserta contentas in statu, & terminis in quibus tempore obitus dicti AEgidij reperiebatur, aliquibus alijs probis viris in dignitate Ecclesiastica constitutis in partibus illis commorantibus cum clausula,& eorum cuilibet insolidum audiendas, cognoscendas, decidendas, fineq; debito terminandas committere, & mandare dignetur cum potestate citandi, & inhibendi, alijsq; facultatibus in præinserta contentis præmisśis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac quocumq; alio rescripto à sanctitate vestra, vel eius nuntio sine eorum consensu post obitum dicti AEgidij forsan emanato, & inde secutis, cęteris contrarijs. Non obstantibus quibuscumq; statum,&c. Pro expreßsis habentes concessum, vt petitur in præsentia domini nostri Papæ A. Cardinalis Sfortia,& cum absolutione ad effectum,& per breue sanctitatis vestrę hac supplicatione introclusa, seu officium contradictarum,&c. Et committatur Ioanni Baptistæ Montoya Canonico, & Archidiacono in Ecclesia Hispalensi, qui in euentum recusationis teneatur assumere assessorem iuris peritum neutri partium suspectum concessum A. Cardinalis Sfortia. Dat. Romæ apud sanctum Petrum quinto idus Iulij anno quarto. Beatisśime Pater, quia deuoti sanctitatis vestræ oratores Abbas, & Beneficiati Ecclesiarum Hispalensis, & alij in præinsertis nominati, propter nimiam potentiam partis sibi in huiusmodi causa aduersę in partibus iustitiæ complementum consequi hactenus non potuerunt, non coram primo iudice, cui primo loco præinserta dirigebatur spatio trium annorum, quibus causa coram eo pependit licèt de oratorum iuribus constaret causæ expeditionem obtinere non potuerunt,& alius iudex cui post obitum primi secundo præinserta dirigebatur postquam iurisdictionem acceptauerat timore perterritus à cognitione huiusmodi causæ se exonerauit, causamq; ad sanctitatē vestram, sanctamq; sedem Apostolicam remisit, & in futurum oratores præfati iam omnino desperant in illis partibus contra partem potentem iustitiam consequi, prout etiam iurare parati existunt, & iurāt de præsenti. Supplicant igitur humiliter sanctitati vestræ quaternus dignetur causam,& causas in præinsertis contentas in eisdem statu, & terminis in quibus reperiuntur in vestro sacro palatio Apostolico causarum auditorio vbi omnibus ęqualance iustitia ministratur, alicui ex eiusdem palatij auditoribus audien.

Supplicatio secunda.

Supplicatio ter

audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineq; debitò terminandas committere, & mandare cum poteſtate citandi, & inhibendi, alijſq; facultatibus in præinſertis contentis præmiſsis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs. Non obſtantibus quibuſcumq; ſtatum, &c. Pro plenè, & ſufficienter expreſsis habentes, in fine verò dictæ commiſsionis duæ erant ſignaturæ, quarum prima talis eſt, videlicet. De mandato domini noſtrę Papæ audiat Magiſter Seraphinus citet, procedat vt petitur, & iuſtitiam faciat. Secunda verò talis, videlicet. Placet domino noſtro Papæ A. Cardinalis Sfortia. CVIVS quidem commiſsionis, & aliarum præinſertarum vigore per nos in cauſa, & cauſis huiuſmodi inter partes in eiſdem præinſertis commiſsionibus contentis, ſeu verius earum legitimos procuratores ad quam plures actus iuditiales citrà tamen cauſæ concluſionem ritè, & legitimè proceſſo ſubſequenter nos ad prouidi viri domini Michaelis del Salto in Romana Curia cauſarum, & reuerendorum dominorum Abbatis, & vniuerſitatis Beneficiatorum totius ciuitatis, & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principalium procuratoris inſtantiam prouidum virum Magiſtrum Ioannem de Anguiano in eadem Romana Curia cauſarum, & illuſtriſsimi, & reuerendiſsimi domini Archiepiſcopi Hiſpalenſis ex aduerſo principalis procuratorem, prout de ipſorum, hinc inde procuratorum procurationum mandatis nobis extitit legitima facta fides ad videndum, & audiendum ſupradictos reuerendos dominos Abbatem, & vniuerſitatem Beneficiatorum dictæ ciuitatis, & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principales in poſſeſsione in qua exiſtunt deputandi, ſeu præſentandi, & nominandi capellanos, ſeu ſeruitores, ac ſacriſtas, & organiſtas in ſuis beneficijs, ac præſidēdi, & ordinandi, quæ in eorum Eccleſijs reſpectiuè cōuenit iuxta præinſertarum commiſsionum vim formam continentiam, & tenorem manuteneri, & mandatum deſuper neceſſarium, & opportunum in forma conſueta decerni, & concedi citari mandauimus, & fecimus ad diem, & horam infra ſcriptos. Quibus aduenientibus comparuit legitimè coram nobis dictus dominus Michael del Salto procurator, & eo nomine quo ſupra procuratorio, ſibi partiq; ſuæ præfatæ contumatiam, præfati domini Ioannis de Anguiano ex aduerſo procuratoris prius accuſata, ipſoq; per nos pro contumace reputato illiuſq; proteſtatione in actis facta, non obſtante mandatum de manutenendo eoſdem reuerendos dominos Abbatem, & vniuerſitatem ciuitatis, & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principales ſuos in poſſeſsione in qua exiſtunt deputandi, ſeu præſentandi, ac nominandi capellanos, ſeu ſeruitores, ac ſacriſtas, & organiſtas in ſuis beneficijs, ac præſidendi, & ordinandi, quæ in eorum Eccleſijs reſpectiuè conuenit, iuxta earundem præinſertarum commiſsionum formam, & tenorem, & aliàs, omni meliori modo in forma ſolita, & conſueta decerni, & concedi per nos inſtanter poſtulauit. Nos tunc Seraphinus Oliuarius Razallius auditor, & iudex præfatus attendentes poſtulationem huiuſmodi fore iuſtam, & rationi conſonam. Idcircò auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte eoſdem reuerendos dominos Abbatem, & vni-

Procurator Beneficiatorum.

Procurator Archiepiſcopi.

uerſitatem Beneficiatorum dictæ ciuitatis, & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principales viſis prius videndis, ac conſideratis conſiderãdis iuribus partium eorumq; procuratoribus hinc inde informantibus, tam iure, quàm in facto, etiam in ſacro Rotæ auditorio auditis, & de dominorum coauditorum conſilio, & aſſenſu quibus de huiuſmodi cauſę meritis relationem plenariam fecimus, & fidelẽ in poſſeſsione in qua exiſtunt deputandi, ſeu præſentandi, ac nominandi capellanos, ſeu ſeruitores, ac ſacriſtas, & organiſtas in ſuis beneficijs, ac præſidendi, & ordinandi, quæ in eorum Eccleſijs reſpectiuè conuenit iuxta earundem præinſertarum commiſsionum vim formam, & tenorem manutenendos, & conſeruãdos fore, & eſſe decreuimus, & mandauimus, prout per præſentes manuteneri, tueri, & conſeruari mandauimus, mandatumq; de manutenendo in forma ſolita, & conſueta iuxta earundem præinſertarum commiſsionum, formam, & tenorem decernendum, & concedendum opportunum. Quæ omnia, & ſingula præmiſſa vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cuiuſlibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, voſq; nihilominus, & veſtrũ quemlibet inſolidum tenore præſentium requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè vobiſq;, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & mille ducatorum auri de Camara locis pijs applicandorum pęnis quas in veſtrum quemlibet canonica monitione ſi ea quæ vobis in hac parte commmittimus, & mãdamus neglexeritis, ſeu diſtuleritis contumaciter ad implere ferimus in his ſcriptis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſentationẽ, ſeu notificationem præſentium vobis, ſeu alteri veſtrum factam. Et poſt quam pro parte ſupra dictorum reuerendorum dominorum Abbatis, & vniuerſitatis Beneficiatorũ ciuitatis, & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principalium vigorẽ præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus immediatè ſequentes quorum ſex dierum, duos pro primò, duos pro ſecundò, & reliquos duos dies vobis vniuerſis, & ſingulis ſupra dictis pro tertiò, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſsignamus. Ita tamen quod in his exequendis vnus veſtrum alterum non expectet, nec vnus pro alio, ſeu per alium ſe excuſet, eoſdem reuerendos dominos Abbatem, & vniuerſitatem Beneficiatorum, tam ciuitatis pręfatæ, quàm totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis principales in ſępe dicta eorum poſſeſsione in qua exiſtunt deputandi, ſeu præſentandi, & nominandi capellanos, ſeu ſeruitores, ac ſacriſtas, & organiſtas in ſuis Beneficijs, ac præſidendi, & ordinandi, quæ in eorum Eccleſijs reſpectiuè conuenit iuxta præinſertarum commiſsionum vim formam, continentiam, & tenorem quantum in vobis fuerit manuteneatis tueamini, & defendatis, ac manuteneri, tueri, & defendi faciatis, permittatis, & procuretis, quos nos etiam, & eorum quemlibet auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur hac parte manuteneri, tueri, & defendi, ac conſeruari mandauimus per pręſentes.

Et inſu-

Inhibitio generalis committitur.

Et insuper sub eisdem cẽsuris, & pẹnis inhibeatis, prout nos tenore prẹsentium inhibemus quibuscumq; personis Ecclesiasticis, & secularibus quacumq; auctoritate fungentibus, & functuris, ne ipsos reuerendos dominos Abbatem, & vniuersitatem dictorum Beneficiatorum, nec eorum aliquem eorumq; capellanos, seu seruitores, organistas, & sacristas, ac pro eis agentes in dicta eorum possessione molestent, inquietent, aut perturbent, seu molestari, perturbari, aut inquietari permittant quo vis quæsito colore. Quod si secus factum fuerit, id totum reuocare, & ad statum pristinum reducere, necnon ad dictarum pẹnarum declarationem, agrauationem, reagrauationem interdicti Ecclesiastici appositionem, & brachij sẹcularis inuocationem procedere curabimus iustitia mediante. ABSOLVTIONEM verò omnium, & singulorum qui prẹfatas nostras excommunicationis sententias in aliquo incurrerint, siue incurrerit quoquomodo nobis, vel superiori nostro tantummodo reseruamus. In quorum omnium, & singulorũ fidem, & testimonium præmissorum præsens nostrum mãdatum de manutenendo in possessione exinde fieri, & per notarium publicum nostrumq;, & huiusmodi causæ coram nobis scribam subscribi, & publicari mandauimus, sigilliq; nostri iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ apud sanctum Petrum in palatio causarum Apostolico, in quo iura reddi solent mane hora consueta, sub anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die vero Lunæ decimasexta mensis Februarij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Gregorij diuina Prouidẽtia Papẹ decimi tertij, anno eius septimo, præsentibus ibidem prouidis viris dominis Carolo Sarraceno, & Ioanne Paulo Coyrenot notarijs publicis scribisq; nostris testibus ad prẹmissa vocatis, atq; rogatis. Et quia ego Claudius Peronis sacri palatij Apostolici causarum Notarius pro domino Virgilio de Vellis eiusdẽ palatij Notario impedito præmissis interfui. Ideo hoc præsens publicum mandatum de manutenendo in possessione instrumentum confeci, & meo solito signo signaui in fidem præmissorum rogatus.

Data.



IN NOMINE DOMINI, AMEN. Seraphinus Oliuarius Razallius iuris vtriusq; doctor, Sanctissimi Domini nostri Papæ Capellanus, & ipsius sacri Palatij Apostolici causarum causæq;, & causis, ac partibus infrascriptis auditor, ac iudex specialiter deputatus. VNIVERSIS, & singulis dominis præsens publicum nostrum huiusmodi instrumentum visuris, lecturis, pariter, & audituris, salutem in Domino, & nostris huiusmodi imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis, quod nos in lite quæ diu in Romana Curia, & sacro Rotæ auditorio coram nobis inter partes in infrascripta sententia expressas de & super omnibus, & singulis eadem sententia expresſis versa fuit ritè, & legitimè procedere volentes seruatis seruandis de dominorum coauditorum nostrorum consilio, & assensu quibus de huiusmodi causæ meritis relationem fecimus, & fidelem nostram inscriptis tullimus, & promulgauimus sententiam diffinitiuam in

hunc

hunc qui ſequitur modum, videlicet Chriſti nomine inuocato pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum pręoculis habentes per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam quam de dominorum coauditorum noſtrorum conſilio, & aſſenſu fecimus in his ſcriptis in cauſa, & cauſis quæ coram nobis inter venerabiles, & circunſpectos viros dominos Abbatem, & vniuerſitatem Beneficiatorum ciuitatis, & totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis, ex vna, & bonę memoriæ don Chriſtophorum de Roxas & Sandoual dum vixit, Archiepiſcopū Hiſpalenſem, & poſt eum illuſtriſsimum, & reuerendiſsimum don Rodericum de Caſtro, modernum Archiepiſcopum Hiſpalenſem de & ſuper iure prefatis Beneficiatis ciuitatis, & totius Archiepiſcopatus competendi, deputandi, & nominandi capellanos, & ſeruitores pro ſeruitio Beneficiorum Hiſpalenſis, quę ſinguli Beneficiati ciuitatis, & Archiepiſcopatus obtinent necnon nominandi ſuos ſacriſtas, & organiſtas in Eccleſijs vbi ſunt Beneficiati, ac in eiſdem Eccleſijs, & illarum choris præſidendi antiquiori ex Beneficiatis pręſentibus, vel eis abſentibus capellano, ſeu ſeruitori antiquioris Beneficiati competenti, necnō multandi, & ordinandi, quę in dictis eorum Eccleſijs reſpectiue conuenit. Non tamen priuatiue ad illuſtriſsimum, & reuerendiſsimum dominum Archiepiſcopum, rebuſq; alijs in actis cauſæ, & cauſarum huieſmodi latius deductis, & illorum occaſione in prima verſę fuerunt, & vertuntur inſtantia partibus ex altera pronuntiamus, ~~ſententiamus~~, decernimus, & declaramus moleſtationes, vexationes, perturbationes, inquietationes, & impedimenta quęcumq; pro parte illuſtriſsimi, & reuerendiſsimi domini Archiepiſcopi præfatis dominis Abbati, & vniuerſitati Beneficiatorum, ipſiſq; Beneficiatis ciuitatis, & totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis de & ſuper præmiſsis, & eorum ſingulis quomodolibet illatas, & præſtitas, illataq;, & præſtita fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, indebitas, & iniquas, temerariaq;, illicita, & indebita, & iniqua, ac de facto præſumptas, & pręſumpta; illaſq;, & illa feciſſe, & facere minime, ſibi licuiſſe, nec licere eidemq; de & ſuper pręmiſsis nullum vnquam ius competijſſe, nec competere, ſibiq; de & ſuper ~~ſingulis~~ præmiſsis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe ac imponimus dictoſq; dominos Abbatem, & vniuerſitatem Beneficiatorum ciuitatis, & Beneficiatos totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis à moleſtationibus, perturbationibus, inquietationibus, & impedimentis præfatis de & ſuper eorum iure vt præfertur nominandi capellanos, ſeu ſeruitores, ac ſuos ſacriſtas, & organiſtas in eorum Eccleſijs, & in eiſdem, ac illarum choris præſidendi, multandi, & ordinandi, quæ in dictis Eccleſijs reſpectiue, vt præfertur conuenit penitus, & omnino abſoluendos, & liberandos fore, & eſſe ac abſoluimus, & liberamus eundemq; illuſtriſsimum, & reuerendiſsimum dominum Archiepiſcopum in expenſis pro parte dictorum dominorum Abbatis, & Beneficiatorum ciuitatis, & totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis, in huiuſmodi cauſa coram nobis legitime factis condemnandum fore, & eſſe ac condemnamus. Quarum taxationem, & moderationem impoſterum reſeruamus, omni meliori modo, &c. Ita pronun-

Ius Beneficiatorum.

Declaratur nullū fuiſſe ius Archiepiſcopi, & imponitur ei ſilentium.

Repetitur ius Beneficiatorū, & cōdemnatur Archiepiſcopi in expenſis.

pronuntiaui ego Seraphinus Oliuarius Razallius Rotæ auditor. lecta lata, & in scriptis promulgata fuit supra inserta nostra sententia per nos Seraphinum Oliuarum Razallium auditorem, & iudicem præfatũ Romæ apud sanctum Petrum sub anno indictione, die, mense, & Pontificatu infra scriptis. Super omnibus, & singulis præmissis comparuit legitime corã nobis prouidus vir dominus Michael del Salto supra dictorum dominorum Abbatis, & viuersitatis Beneficiatorum prædictorum principalium, & eo nomine procuratorio sibi per nos decerni, & concedi huiusmodi nostræ sententiæ instrumentum instanter petijt. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsens publicum nostrum sententię instrumentũ exinde fieri, & publicari mandauimus, sigilliq; nostri iussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ apud sanctum Petrum in palatio causarum Apostolico sub anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, indictione vndecima, die vero Lunæ decima quarta mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Gregorij diuina Prouidentia Papæ decimi tertij, anno eius duodecimo, præsentibus ibidem discretis, & circunspectis viris dominis Carolo Sarraceno, & Ioanne Paulo Coyrenot notarijs publicis scribisq; nostris testibus ad pręmissa vocatis, atq; rogatis. Et quia ego Claudius Peronis sacri palatij Apostolici causarum Notarius pro domino Virgilio de Vellis eiusdẽ palatij notario impedito præmissis interfui ideo præsens publicum huiusmodi instrumentum confeci, & meo solito signo signaui in fidem præmissorum rogatus.

Data literarũ anno 1583.